



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Baldoino Comiti Flandr. & Mariae uxori ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ut non possit super eo quod licite dicitur jurasse meritò reprehendi, ipsum Comitē attentè monentes per literas nostras mandavimus ut juxta quod juramento fuit interposito compromissum, complere matrimonium, quantum in ipso fuerit, non postponat, ut videatur juramenta tam à se quàm hominibus suis exhibita, sicut convenit, observare, & ad id exequendum quod per se potest laudabiliùs adimplere, per alium non cogatur. Ideòque fraternitati vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus supradicto Comitē ab executione mandati nostri cessante, ipsum ad observationem juramenti, sicut de jure tenetur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Datum Laterani V. Kalend. Maij.

*Scriptum est super hoc Comiti Nivernensi.*

Epist. 44.

*Super eodem scriptum est Philippo illi Regi Francorum, servè in eundem modum ut supra usque ad verbum appellatione remota compellant. Quia verò magnificentia regia fideles suos ad ea debet exequenda inducere in quibus non offendatur Deus, & fama boni nominis non lædatur, rogamus magnificentiam tuam & exhortamur in Domino quatenus non impedias quò minus præfatus Comes adimpleat quod juravit: quia cum ejuslicitum sit juramentum, ab observatione ipsius non debet retrahi, sed compelli. Datum ut supra.*

*BALDOINO COMITI FLANDR.  
& Mariæ uxori ejus.*

Epist. 45.  
Recipitur  
sua protectio  
apostolica.

**A**postolica sedes, quæ disponente Domino cunctorum fidelium mater est generalis, licet omnes teneatur paterno affectu diligere, in eos tamen uberius gratiam suæ dilectionis effundit quos ad exhibenda sibi grata devotionis obsequia invenit promptiores. Attendentes igitur dilectionis fervorem quam prædecessores vestri ad Rom. Ecclesiam habuisse noscuntur, & devotionem nihilominus quam vos ad personam nostram habere proponitis, firmo gerimus in proposito voluntatis personas vestras oculo benigniori respicere, & sincerioris dilectionis & gratiæ brachiis amplectari, ac in his quæ à nobis secundum Deum duxeritis requirenda, gratanter vobis assensum apostolicum impertiri.

Eapropter volentes vos, tanquam speciales Ecclesiæ filios, protegere pariter & tueri, personas vestras cum omnibus bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum &c. usque ad verbum suscipimus, auctoritate præsentium districtius inhibentes ne aliquis sine manifesta & rationabili causa in personas vestras excommunicationis aut in terras vestras interdicti præsumat sententias promulgare. Ad hæc adjicientes statuimus, ut si vos in aliquo præferentis aggravari, liberè vobis liceat sedem apostolicam appellare. Si quis verò post appellationem ad nos legitime interpositam in vos vel terras vestras excommunicationis aut interdicti sententias promulgaverit, ipsas decernimus non tenere. Nulli ergo &c. protectionis, inhibitionis, & institutionis &c. Datum Laterani IV. Kal. Maij.

*THEOBALDO PRESBYTERO  
Canonico Cameracensi.*

**N**E fiant controversiæ litigantium immortales, si sopitæ judicio quæstiones in antiquæ contentions scrupulum reducantur, sententias per fratres nostros ex delegatione nostra canonicè promulgatas apostolicæ confirmationis præsidio consuevimus roborare; ne si pateret partibus à lata sententia resiliendi facultas, non litigantes litigia sed litigia potiùs fugerent litigantes, dum non nisi eis expirantibus expirarent. Sanè cum inter te & dilectum filium I. Presb. de Landreceis super præbenda Cameracen. Ecclesiæ, de qua te felicis record. Celestinus Papa prædecessor noster post preces & mandatum dilectis filii Capitulo Cameracen. porrecta, & executorem tibi ab ipso concessum, cassata collatione ipsius præbendæ dicto Presb. facta per Capitulum Cameracense, sicut ex literis ejus accepimus, curaverat investire, & super qua idem Presbyter, eam sibi asserens canonicè fuisse collatam, ad venerab. fratrem nostrum Episcopum & dilectos filios Decanum & Cantorem Atrebaten. commissionis literas impetrarat, qui cum, postquam iter aggressus fueras ad sedem apostolicam veniendi, causa rei servandæ in possessionem miserunt, quæstio verteretur, nos tibi & dilecto filio G. procuratori Presbyteri memorati constitutis in præsentia nostra dilectum filium Hugonem et.

Epist. 46.  
Confirmatur  
sententia lata  
pro eo contra  
I. Presbyterum  
super præbenda  
Cameracensi.

Zz ij